

dunt modò, tum ab invicem denuò recedunt, interimque sese invicem occultant, &c.

*Causa cur
Macula
quandoque
ovales ap-
pareant.*

Cur verò aliquando ovalis, quandoque alterius figuræ appareant? Prima causa est, quando in extima circumferentia disci Solaris versantur, ibi enim necessariò contractiores apparent & minores, eò quod ibi portio à Sole illuminata nobis est invisibilis, minor verò pars obscurata manens, tantum cernitur; Quo verò magis versus medietatem disci Solaris & in linea recta oculi nostri constitutæ sunt, tantò semper majores ac rotundiores à nobis videntur. Altera est, varia earum inter se configuratio seu dispositio, quando nimirum quædam in lineam visus nostri fere unà coincidunt, & ita sese invicem pro parte occultant, tunc quasi ovatæ apparent; Et quia sæpius plures, (cum suis scil. Lunulis) sunt, quæ quasi in unum congregantur, deinde iterum separantur, fit ut nobis interdum exgenerari, & interdum corrumpi seu evanescere videantur, quod accidit quando macu-

læ diversæ magnitudinis & distantiae sub eadem viâ (diversimodè, quædam tardius quædam citius currentes) se invicem occultant, minoresque & Soli viciniore, per unam vel alteram majorem, paulatim eclipsantur & denuò deteguntur; Quod etiam tantò credibilius, quia cum primis hæc occultatio circa medium disci Solaris accidit.

Porrò ex hac Macularum cognitione apparet, toties semper quasi Solares Eclipses contingere, quoties fidei dicta, Solem inter visum nostrum subeunt; subeunt autem frequenter, ac quidem vario incertoque numero, aliquando enim (rarò tamen) 30, aliquando 20, &c. distinctè numeratæ sunt eodem tempore, sed aliquando una vel altera, & aliquando nulla, ergo multò frequentiores & plures contingunt nobis Solares Eclipses, quàm vulgus arbitratur; In quarum tamen effectus, respectu Telluris nostræ, nemo hæctenus penetravit, itaque Astrologi incertitudinem suarum prædictionum agnoscant.

*In magna
illa distan-
tia Solis à
Mercurio,
multi ad-
huc super-
sunt mino-
Planeta
cum eorum
focis.*

CAPUT XIV.

De Mercurio.

Post Maculas Solis, locum proximiorum circa Solem occupat Mercurius, quem Peripatetici proprio lumine præditum & naturæ igneæ judicaverunt; nostro autem seculo dioptrica illa instrumenta, modo plenum lumine, tum gibbosum, deinde dividuum, denique corniculatum, seu falcatum velut Lunam nostram exhibent: *Vide Iconism. III. fig. 1.* Unde jam extra controversiam est, Mercurium eodem modo à Sole illuminari, ac Lunam & Terram; Sphæricum quoque, sed montibus asperatum esse.

A Sole Mercurius ultra 30 grad. non discedit, nec unquam, hanc Terram inter se & Solem constitutam habet; Unde necessariò concludendum, quod sit proximior omnium Planetarum Soli, ideoque etiam circuitum suum circa Solem omnium Planetarum brevissimum describit, nempe intra menses quàm proximè tres (vel diebus 87 horis 23. min. 45.) & occul-

tatur ob hanc vicinitatem plerumque sub Solis radiis, nec apparet nisi in maximis suis erga nos digressionibus à Sole; & quando apparet, sequitur necessariò, illum nobis orbe dimidiato apparere; quod etiam oculariter confirmant *Francisci Fontanæ novæ*, cum novo ab eo invento Specillo cælestium observationes, Neapoli editæ, anno 1646.

Errantem hanc stellam anno Christi 807, 10 Kal. Apr. visam esse in Sole quasi maculam nigram, ex *Annal. Francorum in vita Caroli Magni*, ex *Bibliotheca Petri Pithæi*, Parisiis an. 1588, constat. Idem de se ait *Scaliger*, Exerc. 72. contra Cardanum. Et *Keplerus* an. 1607, 28 Maji: Ut & *Pet. Gassendus* anno 1631, die 7. Nov. ut refert ipsemet in *Institut. Astronom. lib. 2. cap. 14.* Item vidit celeberrimus iste Mathematicus & Senator Gedani *Johannes Hevelius* cum *M. Buthnero*, die 13 Majian. 1661, Mercurium in Sole ut maculam.

*Mercurius
nonnun-
quam ut
macula So-
lis visus est.*

CAP.